

1

36

37.

38

39

40

41

26
DE
**SOLEMNI IUDICIS
COMPETENTIS DECRETO IN
ALIENANDIS REBUS MINORIS
NECESSARIO**

1772/44.
10
PERMITTENTE MAGNIFICO ICTORVM ORDINE

P R A E S I D E

**D. DAVID GOTTFRIED AEGIDIO
WILKE**

P. P.

SERENISS. ELECT. SAXON. IN SUPREMO LVSATIAE
INFERIORIS REGIMINE CONSILIAR. EIVSDEMQUE
CVRIA PROVINC. CONSIST. ECCLESIAST.
LIPS. ET FACULTAT. IVRID.
ASSESSORE

DIE X. APRILIS A. O. R. CICIOCCCLXXII

M. L. Q. C.

D I S P U T A T

CAROLVS GOTTLLOB WILKE

BVRCKHARTSWALDA - MISN.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA,



SOLEMNI IUDICIS
COMPETENTIS DECRETO IN
VITIENDIUS REAS MINORIS

NEGLIGENTI

PERMITTENTE MUNICIPIO ICOTORVM ORDINE

PRAEVIDE

D. DAVID GOTTLIEB AEGIDI
WIFE

ESCHENIS. HIC ET ZAKON IN SALTENO LASATIS
HABITATIONE ET VITIENDIUS CONSTITUTA. VITIENDA
CATHERINA LOVANIA CONSIST. ECCL. ST. PETRI.
TIT. ET SACR. TIT. IVARIS
ASSISTORIS

TIB XI APRILIS A.D. CCCCCXXII

DIES PVENTAT

CATHOLAS GOTTLIEB WIFE

VEREINIGT. A.D. 1650.

LIPSIAE

EX OFFICINA IMPRENTARIA



DE
SOLEMNI IUDICIS COMPETENTIS
DECRETO IN ALIENANDIS REBUS
MINORIS NECESSARIO.

Tutela definitio SERVIO ICto in l. 1. ff. de tutelis.
est vis ac potestas in capite libero ad tuendum
eum, qui per aeratem se ipsum defendere nequit,
iure ciuili data ac permissa. Quoniam vero iam
naturalis ratio suaderet, vt impuberis in aliorum tutela sint, cum se
ipsos per aetatem tueri non possint, posteriora datae definitionis
verba Romanis, qui pupillis liberam rerum suarum admini-
strationem denegabant, originem tutelarum quidem non ad-
scribunt, sed eam potius mixti iuris nempe naturalis et gen-
tium esse, vel ex ipsa §. 6. Inſt. de Atiliano tuteore ap-
paret, quando Imperator dicit: impuberis in tutela esse, na-
turali iure conueniens est, vt is, qui perfectae aetatis non sit,
alterius tutela regatur. Interim tamen Romani ab illa iuris na-
turalis simplicitate in tantum recesserunt, vt aliam tutelam im-

puberum, aliam curam minorum, aliam tutelam foeminarum introducerent. Sic etiam tutor, si pupillus infantiae annos nondum superauerat, non tam personae pupilli, sed et bonorum omnium curam gerebat, atque omnia non pupilli, sed suo nomine agebat; secus vero, si pupillus infantiae annos impleuerat, tunc enim omnes actiones legis, omnesque contractus ipse celebrare poterat, si modo tutor auctoritatem suam interponeret, ita tamen ut meliorem conditionem suam etiam sine tutoris auctoritate reddere posset; vti ex lege 9. f. de auctoritate et consensu tutorum et curatorum clare perspicitur. Ait enim Caius Ictus: Obligari ex omni contractu pupillus sine tutoris auctoritate non potest, adquirere autem sibi stipulando et per traditionem accipiendo, etiam sine tutoris auctoritate potest; sed credendo obligare sibi non potest, quia sine tutoris auctoritate nihil alienare potest. Quoniam vero saepiuscule euenire poterat, quod tutores, nulla habita ratione, bona pupillorum venderent, premiumque exinde redactum in propriis usus converterent, et non satis cautum esse videretur minoribus, quod tutores et curatores suos et fideiussores eorum haberent obligatos, tutiusque esset incumbere in rem, quam in personam; Seuerus Imperator introduxit, ne tutores vel curatores praedia minorum sine decreto Iudicis distrahere possent. Continetur huius Imperatoris Seueri oratio in Senatu recitata in l. 1. f. 2. D. de rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto non alienandis vel supponendis, his verbis: Praeterea, Patres conscripti, interdicam tutoribus et curatoribus ne praedia rustica vel suburbana distrahant, nisi, vt id fieret, parentes testamento vel codicillis cauerint. Quod si forte aes alienum tantum erit, vt ex rebus ceteris non possit exsolui, tunc praetor urbanus vir clarissimus adeatur, qui pro sua religione aestimet, quae possunt alienari, obligariue debeant: manente pupillo actione, si postea potuerit probari, obreptum esse praetori. Si communis res erit, et socius ad diuisionem prouocet: aut

si

si creditor, qui pignori agrum a parente pupilli acceperit, ius exequatur: nihil nouandum censeo: quam quidem constitutionem Imperatores Diocletianus et Maximilianus in l. 13. D. eod. tit. imo etiam Iustinianus l. 22. C. de administr. tutor. non solum confirmarunt, sed et de omnibus bonis immobilibus, praediis vectigalibus, emphyteuticis et patrimonialibus interpretati sunt, imo etiam ad omnes res mobiles, quae seruando seruari poterant extenderunt,

Quando igitur decreto iudicis in alienandis rebus pupilli et minoris opus est, non abs re erit, paullo penitus inquirere, cuiam iudicii competat potestas decretum alienandi interponere? certum enim est tutorem principaliter dari personae, non rei, vel causae, ideoque ipsum a nemine posse constitui, nisi cuius iurisdictioni pupillus subiectus, imo licet pupillus bona possideat diuersis in locis sita, nihilominus magistratus domicilii non rei sitae tutorem dabit. Quae cum ita sint, negari tamen non poterit, cuiuscunque confirmationem contractus de alienandis rebus immobilibus pupilli ad iudicem rei sitae pertinere, quare etiam a nemine, nisi ab ipso decretum alienandi expetendum esse, iuri quam maxime consentaneum et conueniens esse videtur. Sunt tamen plurimi iuris civilis interpretum et doctorum, qui ea de re sibimet ipsis non constare soleant, quippe qui vel iudicem rei sitae, vel administratae tutelae, vel etiam domicilii pupilli pro competente agnoscant, a quo solemne decretum alienandi, arbitrio tutoris vel curatoris, peti, et interponi possit. Fouent hanc sententiam inter alios magni nominis ICtos STRYCKIVS in us. Pandect. moderno Lib. XXVII. Tit. IX. f. IV. LÜDER. MENCK. ad eund. tit. et BERLICH. decis. 29. aliquique plures, immo ad corroborandam hanc sententiam praeferunt duabus vtuntur iuris civilis legibus. Altera quidem est lex 5. f. 12. ff. de rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt sine decreto non alienandis vel supponendis: altera vero l. 16. C. eod. tit. Prioris legis verba ita sonant: Illud quaeri potest, si praetor adiutus permiserit distrahi possessionem prouincialem, an valeat, quod fecit. Et putem valere, si modo tutela Romae agebatur, et hi tu-

tores eam quoque administrationem subierant. In posteriori lege
 vero sequentia disposita: Si praedium rusticum vel suburbanum,
 quod et ab urbanis non loco, sed qualitate secernitur, in pupillari
 aetate constituta, tutore auctore, vel adulata sine decreto praefidis pro-
 uinciae, in qua situm est venundedisti: secundum sententiam SC.
 dominium eius, siue ius a te discedere non potuit, sed vindicationem
 eius, et fructuum, vel his non existentibus conditionem compe-
 tere constitut. Quibus quidem ex legibus cum apparere contendant,
 promiscue apud Romanos decretum alienandi vel a iudice
 domicilii siue administratae tutelae, vel a iudice rei sitae esse conce-
 sum, ita etiam nostris temporibus in eandem sententiam collegia iuri-
 dica pronuntiasse, ipse testatur Mencken et Berlichius locis supra
 allegatis, imo multis aliis exemplis, si opus, illustrari posset. Dubium
 vero mouent, varia eaque non exigui ponderis argumenta, ne huic
 sententiae adstipulemur, cum partim ipsae commemoratae leges, id
 quod probare debent, haudquaquam probare existimemus, partim
 vero ex aliis legibus, et rationibus evinci poterit, decretum alienandi
 a solo iudice domicilii et administratae tutelae esse peten-
 dum. Apud Romanos enim tutela dativa a praetore urbano
 cum maiori parte tribunorum plebis ex lege Atilia deferebatur,
 quae quidem lex Romae tantum valebat, nec ad exteras prouin-
 cias poterat extendi, donec lege Iulia et Titia illius dispositio
 etiam cum aliis prouinciis communicaretur, et praefides prouin-
 ciae iuberentur, etiam in prouinciis tutores dare. Quan-
 quam vero in tutoris datione ad locum originis et domicilii reg-
 ulariter sit respiciendum, quoniam tutor dabatur personae non
 rei, simpliciter tamen datus, ad res omnes in quacunque iuris-
 dictione existentes constitutus intelligebatur. Cum itaque tuto-
 res primario personae, rebus vero per consequencias consti-
 tuerentur, hoc certe non aliter procedebat, nisi bona intra terri-
 torium sita erant; praetor enim urbanus rebus prouincialibus,
 et praeses urbanis tutorem dare non poterat, nec vna eadem
 que

que ratio suberat inter res vnius prouinciae et villae, et diuersarum prouinciarum; ita etiam non stricto quidem iure, sed ex consuetudine populi Romani rebus Africanis vel Syriacis vel in prouincia sitis per legem 15. ff. de testament tutela. utiliter tutor dari poterat. Quod ut eo claritus perspiciatur, liceat nobis afferre legem 27. ff. de tutoribus et curatoribus etc. Pupillo qui tam Romae, quam in prouincia facultates habet, rerum quae sunt Romae, praetor: prouincialium praeses tutorem dare potest, sed iis tantum, qui eiusdem erant prouinciae, vel ibidem domicilium habebant per l. 1. f. 2. ff. de tutoribus et curatoribus etc. Quae cum ita sint, ex prioribus scilicet l. 5. f. 12. ff. de rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt sine decreto non alienandis etc. et l. 16. C. eod. tit. nequaquam confirmari posse contendimus, decretum alienandi a iudice rei sitae esse interponendum. Etenim in priori lege praetori potestas quidem concessa, distinctionem possessionis prouincialis pupilli permittere, modo Romae tutela agebatur, atque tutores a praetore dati etiam administrationem possessionis prouincialis in se susceperebant. Quod si enim a praefide prouinciae specialis tutor rebus in prouincia sitis datus fuerat, decreto practoris non opus erat, non quidem ideo, quoniam Iudicis rei sitae consensus et causae cognitio requirebatur, sed quia tutela specialis in prouincia constituta, et praetor urbanus iurisdictionem suam ad alienum territorium extendere non poterat. Lex vero 16. C. eod. tit. minime loquitur de pupillo, qui diuersis in locis bona immobilia possidet, quae alterius iurisdictioni subsunt, sed potius de pupillo in prouincia commorante ibique praedium rusticum vel suburbanum possidente, cui tanquam prouinciali praeses tutorem dederat. Hinc praeses prouinciae eo in casu, non tanquam iudex rei sitae, sed domicilii et administratae tutelae, rite imploratus et causa cognita distinctionem possessionis permittebat. Alterum, quod sententiam nostram tuetur, argumentum in eo consistit. Decretum quod iu-

dex

08

dex in alienatione rei immobilis pupilli interponere debet, quoniam causae cognitionem desiderat a competente iudice ut expediatur, necesse est. Etenim vel virgens aes alienum, vel aliud quoddam damnum graue et imminens requiritur, si alienatio a iudice permitti potest. Quomodo vero iudex rei sitae, qui de ceteris pupilli bonis nullam habet causae cognitionem, quomodo ille decernere poterit, vtrum petita alienatio in fauorem vel detrimentum pupilli vergat? Hinc iuxta l. 5. f. 10. ff. de rebus eorum, qui sub tutela etc. iudex aestimare debet, vtrum vendi potius an obligari immobilia permettere malit, et si plura praedia possideat, quodnam ex his sit distrahendum, et ex quo pupillo maximum commodum prouenire queat. Quare concedendum non est, tam inquisitionem a iudice rei sitae commode atque modo legitimo institui posse, cum ceteras pupilli facultates non compertas habeat, potius ad iudicem domicili et administratae tutelae pertinere. Fouet eandem sententiam non solum BRVNEMANNVS in commentario ad Pandectas Lib. XXVII. tit. 9. quamvis in commentario suo ad codicem eod. tit. sibi ipsi contradicere, et in amplectenda sententia certa dubius haerere videatur, sed et quotidiana docet experientia, in foro saepiuscule obuenire casus ubi decretum alienandi non aliter nisi a iudice gestae et administratae tutelae interponitur, etiamsi praedium distrahendum alienae iurisdictioni subsit. Fac enim, pupillum, qui iurisdictioni ecclesiasticae subiectus, bona immobilia possidere, quorum distractio vel virgens aes alienum, vel alia grauis causa postulat. Quod si hoc in casu iudex rei sitae decretum interponere vellet, acum ageret frustraneum et ipso iure nullum. Decretum enim fertur intuitu iurisdictionis in personam, et respectu habito ceterarum pupilli facultatum, et sic per consequentiam res alibi-sitas, et extra fines iurisdictionis existentes afficit; nunc autem iudex rei sitae in personam ecclesiasticam nullam iurisdictionem exercere vallet, ergo etiam decreto suo, alienationem rerum immobilium pupilli validam reddere nequit.

ULB Halle
005 361 834

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



D E

SOLEMNI IV DICIS
COMPETENTIS DECRETO IN
ALIENANDIS REBVS MINORIS
NECESSARIO

PERMITTENTE MAGNIFICO ICTORVM ORDINE

P R A E S I D E

D. DAVID GOTTFRIED AEGIDIO
WILKE

P. P.

SERENISS. ELECT. SAXON. IN SVPREMO LVSATIAE
INFERIORIS REGIMINE CONSILIA R. EIVSDEM QVE
CVRIA E PROVINC. CONSIST. ECCLESIAST.
LIPS. ET FACVLAT. IVRID.
ASSESSORE

DIE X. APRILIS A. O. R. CICIOCCCLXXII

M. L. Q. C.

D I S P V T A T

CAROLVS GOTTLLOB WILKE

BVRCKHARTSWALDA - MISN.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

